

Zeitschrift: Beiträge zur vaterländischen Geschichte
Herausgeber: Historische und Antiquarische Gesellschaft zu Basel
Band: 10 (1875)

Artikel: Thomas Murner und sein juristisches Kartenspiel
Autor: [s.n.]
Anhang: Beilagen aus Thomas Murners Chartiludium Institute summarie von 1518
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-110713>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 01.06.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Beilagen

aus

Thomas Murners

Chartiludium Institute summarie

von 1518.

I.

(Bl. a 1 vw. Vgl. S. 302.)

Intimatio 1515. facta in vniuersitate Treuren. in die sancti Andree apostoli.

Justiniani Cesaris quatuor institutionum libros. prima et canonum et legum incunabula atque fundamenta leget frater Thomas Murner perfectam illorum primo (ut firmiter sperat) intelligentiam. consumatam tandem memoriam edocturus. Sic quod etiam mediocriter in his eruditus vel certe nescius in quatuor hebdomarum spatio completam eorum habeat notitiam. et perpetuam atque exactissimam singulorum etiam paraphratorum memoriam. rem paucis creditam. sed nunc experientia testificante nullo pretio. nulla mercede probandam. Sed ad tam inaudite rei gloriam. Et (si ita placet dici placebit inquam ad tam presumptuose promissionis experimentum). Adeste igitur auditores studiosi. nec vos deterreat ignorantia propria nec temporis paucitas preceptorum humano credituri. qui probe nouit. quo modo. quibus traditionibus id perficere possit. que tam inaudite promisit.

*Thomas Murner iuridice
facultatis studiosis Salutem.*

Non cessamus optimi viri ex illo die in quo nostrum animum incessit cupido et quidem perseuerantissima perdiscendarum legum atque canonum ut novum aliquod opus aut ederemus. aut vetera in eam formam redigere-
mus. qua nobis tantus iurium campus et immensorum

voluminum capedo. vel esset iucundior. vel certe cupita et diu desidereta breuitate constrictior. Quis enim est aut esse posset. cui tamen viuere concederetur ut ea immensa veteris prudentie volumina. non dico considerate perlegat intelligendo. sed vel saltem uno spiritu percurrat legendo. Quo fit ut cogamur vestris atque nostris succurrere necessitatibus. Insuetam oculis vestris formam prescribendo. quam imitantes. et secundum cuius exemplar agentes breuissimo valeatis tempore abissum legum atque canonum penetrare. Consultissimo igitur acturi sumus: si quod docere proponimus nulla (ut iam moris est) prefatione molesta retardemus. Fit inquam ut crucientur famelici atque exasperentur cunctantius si quod appetitur longa differatur sermonis prolocutione. et verborum involucris ita sylvescant exordia. quod studiosos doctrine campum exilire compellant illa stultorum preceptorum fastidiosa proloquia. Accipite igitur ex nobis in hac patre summaria totius institute cognitionem apud alios multis verbis inculcatam. hic autem figuris et typis sic ordinatam. ut illis breui valeatis et textus intelligentiam et perfectam et exactissimam memoriam ac quasi specularem contueri. Valete. memores mei in omni bono. Datum Argen.

II.

(Bl. c 4 vw. Vgl. S. 303.)

Consilium.

Superest ut nostre doctrine et tradite et tradende ordinem hoc loco dicamus. et consilium optimum studiosis prebeamus. quo qui imitati hoc nostro ludo perfectissimi fiant. et brevissimo legum atque canonum penetralia perlustrent. Primo igitur iurista novellus omnibus viribus theoricam nostram in tribus typis figuratam consideret et diligentissime tradat memorie ex illa inquam non parum intelliget, quonam modo lex e lege, diuisio ex diuisione eliciatur et continuetur. Secundo nostram propositae theoricæ superficialem et quasi generalem declarationem secundo loco perdiscat. Tertio loco ad puri textus intelligentiam procedat. Magistrum eligat, qui ad maius in sex hebdomadarum spacio universam institutam textualiter declaret quod et ego in quatuor hebdomadis iam perfeci atque compleui. Hic vero labor, textus videlicet intelligentia, si nimis arduus appareat, hoc modo tolerari potest, si non pudeat institutam nostram ex latino sermone in alemannicum a nobis traductum contueri. Cuius quidem interpretationis a plerisque iuristis non fuimus commendati, aientes, me nobilissimas legalis doctrine margaritas porcis devorandas prebuisse et ingratis atque indoctis barbaris iuris maiestatem dilacerandam opprimendamque prodidisse, potius quam interpretatum fuisse. At ego quod feci, infectum facere non possum et ex manibus eripere omnium qui hanc nostram germanicam in-

stitutam partim sunt furati, partim precibus obtinuerunt, rapuerunt. Mens nostra fuit, nouellis juristis succurere, ut e germanico sensu institute textum latini sermonis non indecorum facilius perciperent. Aut si germanicum pertesus eloquium adhuc sensum institute requiras, institutam nostram maiorem (quam typis atque figuris sic ordinavimus, ut unico fere concentu simul et contuitu liceat cuiuslibet tituli memoriam non aliter quam in speculo per-videre) fideliter audias, quæ ob sui mirandas figurarum protractiones usque in hanc horam exprimi non potuit. Claudio tandem consilium meum, valde necessariam tibi esse textus institute intelligentiam. quam nisi a quocunque et utcunque nacti fueritis, hoc nostrum chartiludium vobis omnibus modis esse interdictum, nullatenus dubitate.

III.

(Vgl. S. 305.)

Studiosis.

Etsi omnis nostra legum et canonum inaudita traditio tandem et ex toto in memoriam redacta sit, non tamen sic memorie studemus, ut materie textus utriusque corporis simus expertes. Audenter enim et cum veritate dico omnem nostram juris memoriam ex textibus intelligenter et docte elicitam subtiliterque continuatam atque ex transpositis paraphris figuris et typis consummatam, ut est hic videre in instituta nostra. Cuius intelligentiam cum vobis primo exemplari nostro traderem his subjectis figuris non insulse declaravi quas etiam exprimi (ut videtis) curavi, ut publicæ consulerem utilitati. Nec in eternum sum crediturus, quemcunque preceptorem nudi textus institute intelligentiam posse commodius tradere, quam hoc modo quo vos iam sex hebdomadis præsentibus figuris fatigavi, ut legale et canonicum caput in vobis suscitarem. Quod cum ab initio non crediderunt, iam tandem oculis prebitum et manibus palpitandum rei coguntur fateri veritatem. Cui tamen veritati invidentes et honori nostro detrahentes, demonem inquiunt illa omnia tam inaudita prodidisse nobis et mihi scribenti assidue astare (et ut solet homo homini) ita mihi viva voce loqui solitum. Ach tandem suspirantes, si saltem non esset monachus, se mihi tunc favere hunc inaudite traditionis honorem. At ego sicut nec debeo, sic neque volo huiusmodi falsis et voluntariis dictis reluctari. Scio, inquam,

scio, Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum descendere a patre luminum, credoque mihi non demonem, sed angelum optimi dei astare mihi et suggerere ea quæ diuina clementia dignabitur mihi pauperulo servo suo (etiam pro tanto munere ingrato) benigne elargiri; qui angelus nostrum sensum et intelligentiam (precamur) ut oculi pupillam custodiat et a via iusticie (ut decet verum juristam) nunquam abduci sinat aut quovis modo a demone pessimo cum quo nobis nullum est comertium, sed nec erit unquam, fatigari permittat. Cuius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini mei. Jesu Christi. Nos vero gratitudinis vice fidam exercebimus in rebus propositis traditionem et fratribus nostris christianis officio pietatis et opere misericordie subvenire dies et noctes studebimus verbo docendo presentes, et decem exemplaribus nunquam visis erudiendo absentes. Quibus perdoctis et expressis adhuc nostre promissionis non tetigimus initia. Restant enim viginti memorie juris exemplaria, sed non temere publicanda. Si qui autem sinceri fuerint auditores, nihil est quod illis ex voto occultabimus. Valete felices tantarum rerum inauditarum finem expectaturi. Ex Argentina.

